



Universitätsbibliothek Paderborn

Antidota Evangelica Contra Horvm Temporvm Hæreses

In Qvibvs Quatuor Euangeliorum illi textus explicantur, quibus vel hæretici
hodie (maximè Caluinus & Beza) ad sua dogmata propugnanda vti solent,
vel ad hæreticorum dogmata impugnanda Catholici vti possunt

Stapleton, Thomas

Lvgdvni, 1595

6. Quòd filius hominis potestatem habeat dimitendi peccata in terra.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39463

IN MATTHÆI CAP. IX.

6. *Quod filius hominis potestatem habet dimittendi peccata in terra.*

Vers. 23.

NENVM hic suum inspergit Caluinus his verbis. Hæc potestas longè alia est quam quæ Apostoli mandata fuit, & qua hodie funguntur Ecclesiæ pastores. Non enim tam remittunt ipsi quam remissa testantur, dum iniunctam sibi legationem promulgant. Hæc ille. Ceterum Apostolis datam fuisse à Christo potestatem, ut verè peccata remitterent, & eadem potestate fungi hodie Ecclesiæ pastores, contra Caluinum demonstratum vide in Promp. Cath. dom. in Albis. Sed & infra ad Ioan. cap. 20, dabitur hac de re contra Caluinum disputandi locus amplissimus.

21. *Dicebat intra se, Si tetigero tantum vestimentum eius, salua ero.*

QVIA ex hoc loco probant luculenter Catholici reliquias Sanctorum veneracionem mereri, & per eorum contum Deum virtutes operari, quod in Promp. Cathol. Dom. 23 post Pentec. aliqua ex parte nos ostendimus, muliū contendit Caluinus ut hoc nobis tam illustre argumentum eripiat. Primum disputat rem utcunq; laudabilem in exemplu trahi non debere. Quod (inquit) mulier cogitat, si modo tetricerit Christi vestem, se protinus fore sanam, singulari quidam fuit Spiritus sancti impulsus, neque ad communem regulam trahi debet. Scimus quam proterue ludat supersticio in stulta & inconsiderata emulatione sanctorum. Atqui similes sunt non imitatores, qui singulare aliquod exemplum absque Dei mandato, & proprio magis sensu quam Spiritus directione usurpat. Hæc ille, factum quidem laudans, sed quod ab aliis imitandum non est, quia singularis in eo fuit Spiritus sancti impulsus. Sed primum unde probat Caluinus, aut quis illi dabit, singularem hunc vestem Spiritus sancti impulsum, id est, huiusmodi ut rem ex sua natura viciosam & supersticiosam, neque in exemplum trahendam, in illa tamen muliere fecerit laudabilem? Supponit quidem hoc Caluinus, sed non probat. Deinde etiam si singulari Spiritus sancti impulsu illa mulier sic cogitasset, quia nouum illud sanitatis consequendæ experimen-